ANIMADVERSIONES DE AMAUROSI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM…

Raimondo Gusmerotti



ANIMADVERSIONES

DE AMAUROSI

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D.D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. ALOYSIO SCARENZIO

Pathologiae Generalis atque Pharmacologiae Prof. Ord.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Aprilis 1845

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

RAYMUNDUS GUSMEROTTI

EX MADICE TYROLENSIS



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.





BARTHOLAMAEO BLEGGI

VIRO OPTIMO ET AMICISSIMO

HAEC PAUCA DICABAT

Observantissimus Auctor.

Medicinae tironem, priusquam vitae civilis limina ingrediatur, thema qualecumque ex vasto scientiae medicae penu depromptum leges academicae elaborare jubent, cui muneri satisfacturus nonnullas animadversiones de amaurosi conscripsi principia semper sequens Professoris Rosas.

382

DEFINITIO.

Notabilis visionis imbecillitas aut coecitas, ab affectione retinae et nervi optici profecta, *nomine amauroseos*, *guttae serenae*, *cataractae nigrae insignitur*.

Tres amauroseos gradus distinguuntur :

1. Amblyopia amaurotica, qua adfecti aegroti aspectum quidem habent objectorum, debilem tamen atque confusum.

2. Amblyopia imperfecta, qua laborantes lucem adhuc distinguunt a tenebris.

3. Amblyopia completa, in qua lucis perceptio deficit, oculique functio prorsus extinguitur.

Conditio, in qua nervus opticus versatur, varia esse potest, ideoque via vitalis differt:

nonnunquam sensibilitas oculi est exaltata; aliis in casibus imminuta; quandoque penitus sublata, quam ob rem tres species amauroseos occurrunt: I. Amaurosis erethica, II. symphoretica seu congestiva, III. torpida.

I.

AMAUROSIS ERETHISTICA.

Iste morbus saepe a tenuibus exorsus initiis paulatim increscit, et in amaurosim *erethisticam simplicem*, et *spasticam* dividitur.

α. Amaurosis erethistica simplex.

Haec crebram originem trahit ab oxyopia neglecta, quae per longius breviusve temporis spatium protracta aversione lucis destituitur, oculum objectis micantibus obvelat, ab initio oculum viridibus, dein coeruleis ac tandem punctulis nigricantibus refertum redolens, usque dum amauroticus evadat. Frequenter accedente lucis aut aëris irritamento levis conjunctivae et scleroticae rubor, adaucta lacrymarum secretio, camerae turgescentes et generalia erethismi signa, paris quinti et magni sympathici adfectiones indicantia, observantur. Rara apea foveri potest cum

amaurosin perfecte sanandi, maxima ex parte nisus hebetudinem relinquendo, saepius autem in torpidam transeundo, omnemque artis peritiam eludendo.

In hac amaurosi duabus indicationibus satisfaciendum est, scilicet sensibilitatem excedentem sedandi, et debilitatem nervi optici actionem erigendi.

Sensibilitatem compescunt fomentationes aqua et aceto paratae, usus internus potuum acidulorum, v. g. salis essent. tartar. cum syrupo ribesior. nec non narcoticorum, uti aquae lauro-cerasi, opii, acetat. morphii; minus votis correspondent narcotica, conspicuam pupillae dilatationem producendo paria. Temporis successu omnino proficua erunt praeparata zinci, inprimis flores et sulfas zinci, tartarus emeticus refracta dosi, castoreum, chenopodium ambrosioides, flores tiliae, naphae, aurantiorum, et in casu manustuprationis sedulo nitendum erit, fore ut a turpi vitio desistatur, et interne nitrum, camphora, china propineutur.

b. Amaurosis spastica.

Haec amaurosis symptoma adsociatur tetano et eo facilius evolvitur, quo magis potentiae nocentes ortui ophthalmospasmi favent. Intermittit exordium, vide!. spasmum antecedere solet et paroxysmo absoluto disparet, eo deinceps in continuam abit. Symptomata ejusmodi amauroseos a norma tetani catholici differunt; alia enim manifestantur in convulsionibus infantum; alia in epilepsia; alia in hystericis vel hypochondriacis.

α. Amaurosis convulsiva infantum.

Generatim aggreditur infantes vegetos, nunc prodromon hydrocephali vel comes, nunc symptoma difficilis dentitionis, nunc acidis primarum viarum, nunc hospitantibus in tractu intestinali vermibus provocatur, unde symptomata varia causae excitantes consideranda praebent. *In hydrocephalo* pupilla est dilatata, angularis et immobilis, sclerotica in corneae circuitu colore coesio tingitur, bulbus jam immobilitate, jam motu oscillatorio instruitur, insuper phaenomena imminentia aut evoluti hydrocephali adsunt.

In *difficili dentitione* lucem offerunt examen gingivarum, rubor colorque guttarum, illacrymatio, levis conjunctivae et scleroticae rubor, camerarum oculi turgor, pupilla dilatata ac iners, nec non convulsivae rotationes musculorum oculi. Spectato oriendi modo *ab acidis primarum viarum*, dolor pressivus in regione frontali, — rubor scleroticae ex flavo-pallidus, — dilatatio, irregularitas pupillaeque segnities, — illacrymatio involuntaria, — continui aut intermittentes ructus, — constrictio regionis umbelicalis, — foeces viridescentes, ac tandem spasmi intercurrentes vehementi oculorum rotatione concomitati. Praesentia *vermium in tubo alimentari* sequentia morbosa phaenomena offert: anulos coeruleos, corneam marginemque infrapalpebralem circumdantes, — frequentem illacrymationem, — pupillam dilatatam inertioremque, — recurrentem oculi et ipsius faciei musculorum spasmum formam oculi orisque angulum detorquentem, — variabilem pallorem et faciei turgescentiam, gravedinem capitis, cephalaeam, aurium susurrum, halitum foetentem, pruritum narium, crebram epistaxin, labia superiora nasumque interdum turgida, linguam impuram, secretionem salivae adau-

otam; praeterea nauseam, vellicationes abdominales praecipue in regione umbilicali, vomitum fluidi aqueiformis, appetitum nonnunquam in famem lupinam degenerantem, secessum jam mucosum, jam sanguinis striis intermixtum, urinas pallidas nubecula instructas, sudores acescentes, ventrem tumidulum, blandimenta somni disturbata tandemque vermium expulsionem.

Prognosis hujus morbi plus minusve infausta a duratione, habitu individui et complicatione dependet. Difficulter admodum pristinus integritatis status restituitur in amaurosi ab hydrocephalo proveniente, dum functionem retinae et nervi optici longe saepius reparandam admittit amaurosis, a dentitione difficili, ab acidis primarum viarum et vermibus exorta, absque ulla complicatione scrofulosa.

Tractatio amauroseos convulsivae characteri ejus accomodata variat. In hydrocephalica bene conducunt calomel digitali nuptum, decoctum jaceae et ononidis spinosae, oxymel squillae etc.; frictiones externae cum unguento stibiato in vertice et nuca instituttae. — Amaurosis difficilem dentitionem pedissequa eruptione dentium tollitur, quam antiphlogistica et emollientia faciliorem red-

duut. — Quam acida in primis viis progignere, cataracta nigra usum reposcit absorbentium: magnes. ust. lapid. cancr. praepar., dein tonicarum et leniter stimulantium, apprime rhei, calami aromat., extracti chin. fuscae. — Ad necandos aut expellendo vermes propinanda erunt filix mas in pulverem redactus vel meliori cum successu extractum ipsius, semina santon., valeriana, cortex rad. punici gran., stamnum granulatum, oleum therebin., nec non purgantia; simul vero reproductionis processum corrigere et incitare opus est, ut nidus vermium destruatur, eorumque regeneratio praecaveatur.

β. Amaurosis epilepticorum.

Accessus epilepsiae recurrentes eo pergunt, ut oculus debilitetur et suae functioni praeesse nequeat. Signa characteristica a morbo essentiali desumuntur; — major lucis quantitas pupillam dilatat, — bulbi axis a directione normali non aberrat.

Haec amaurosis ad altiorem gradum evecta omni medelae refragatur, licet morbi naturam convenientissimum curationis consilium exceperit.

γ. Amaurosis hystericarum et hypochondriacorum.

Oculus ista adfectus sensum compressionis experitur, manu quasi supra bulbum factae, unde mobilitas impeditur, — uno eodemque temporo spasmus rimam palpebralem vel clausam vel apertam tenet, — conjunctiva rubet, pupilla hiat immobilis, facies iridis anterior convexa cernitur, — ab initio visionis imbecillitas, in posterum ad summam caecitatem data.

Ante omnia causarum excitantium respectus habendus est, ut eaedem removeantur, aut continuans earum actio enervetur obtundaturque. Idoneam quoque tractationem perficiunt remedia, characterem spasticum compescendo agentia.

II.

AMAUROSIS A CONGESTIONIBUS

Amaurosis symphoretica saepenumero in praxi occurrit, in ophthalmitidem transire amat, nec immerito apoplexio humorali comparatur, quum inopinate irruat. Morbus raro infantes senesque infestat, frequentius viros

vexat quam sexum sequiorem, ac magis obnoxii sunt constitutione sanguinea ac robusta praediti, nec non oculi coloes obscuro gaudentes. Quandoque utrumque oculum invadit sensim semsimque evoluta et symptomatibus stipata oxyopiae, photophobiae, photopsieae, chrupsiae et myopiae; quandoque subito irruit phaenomenis concomitata, humorum congestionem encephalon et oculum versus prodentibus. Haec inducitur luce acquo vividiori, suppressione sudoris facialis, laesione oculorum acribus illata vaporibus, v. g. sulfuris, ammoniaci; commotione, contusione oculique vulneratione; abusu spirituosorum et vi narcotica pollentium, applicatione visionis intensiori praecipue in objecta minuta microscopii ope directae.

Et ansam praebent humorum congestiones encephalon versus, insolatio, thoracula angustiora, labores inclinato capite sublatisque brachiis perfecti, pathemata excitantia uti ira, terror; plethora universalis, suppressio evacuationum habitualium, epistaxeos, fluxus haemorrhoidalis et menstruorum; depletiones sanguinis neglectae, adfectiones systematis venae portarum, arthritis, exanthemata retropulsa, syphilis etc., quibus causis considerata plures amauroseos congestivae spe-

ciea emergunt, quarum potiores enumerantur: 1. plethorica; 2. rheumatica; 3. narcotica; 4. abdominalis; 5. arthritica; 6. impetiginosa; 7. scrofulosa; 8. syphilitica.

1. Amaurosis plethorica.

Proficiscitur plethora universa aut topica capitis, modo subito, modo paulatim evolvitur, ratione potentiarum morbificarum habita, majorem sanguinis affluxum caput oculumque verans advocantium. Ab initio aegroti molestam bulbi plenitudinem magnamque conqueruntur photopsiam; nimirum diu objecta iridiformi et lucidiore colore tincta adparent, dum in tenebris coerulea aut flavida scintillatio et fulguratio, globi ardentes, clausis quoque palpebris ob oculos versantur. Adsociatur dolor mutus, pressivus in regione frontali et supraciliari et continuo crescens, maculae nigrae, rete aut macula plus minus densa — *scotomia*, *visus muscarum* — ante oculos volitant. Cornea splendet et magis convexa conspicitur, camerae turgescunt, pupillae constrictio et angnities observatur, sclerotica ac conjunctiva in corneae circumferentia rubet.

Hactenus commemoratis phaenomenia per-

durantibus, dolor vagari coepit et scotomia in rete densum transformantur, luce obscurum, in tenebris lucidum, rutilans, coeruleum objectaque iride circumdans. Quaevis capitis congestio amblyopiam adauget, ideoque victus largus, spirituosa, animi pathemata, et vehemens corporis jactatio eam pedissequam habent. Cornea languet, camerarum spatium imminuitur, pupilla dilatatione et immobilitate insignis, scleroticem conjunctivamque vasa livida percurrunt et interni oculi humores inquinantur. Amaurosi ad summum evolutionis gradum elata, cephalaea et photopsia decrescunt, sensus ponderis frigorisque eum adaucto oculi volumine subintrat, saepe varicositates et atrophia bulbi minitantur. Quum amaurosis recens orta et in inferiori evolutionis gradu constituta sit, nec habita pravo humorumque dyscrasia complicata occurrat, non semper sanationi resistit, imo suapte sponte nonnunquam sanatur evacuationibus spontaneis uti fluxu haemorrhoidali et menstruis. Immedicabilis vero amaurosis habenda est, per cujus decursum longiorem mutationes oculorum organicae paulatim oriuntur. Amaurosis, diutiores visus intellectusque conatus subsequuta, prodromon maniae considerari potest.

In amaurosi plethorica principalis indicatio vasorum turgentium depletionem petit, ut suppressa et impedita nervi optici actio expediatur ac in integrum restituatur. Potissimum itaque remedium in detractione sanguinis universali situm est; utprimum vero universalis virium status phlebotomiam vetat, cucurbitulae cruentae vel hirudinea applicandae erunt, et quidem in suppressa epistaxi circa pinam nasalem; silentibus menstruis in parte interna nympharum, in haemorrhoidum suppressione circa anum. Instituta sanguifurorum vasorum depletione, ad imminuendas congestiones evacuatio per alvum, purgantibus antiphlogisticis aut clysteribus solventibus producta, plurimum confert. Scopo adjuvante semicupia et pediluvia tepida, ac omnia remedia, actionem systematis vasorum debilitando humorumque orgasmum compescendo paria, opportune adhibentur.

Ad promovendam amauroseos sanationem congruo simul vitae regimine opus est; hine inde quamlibet capitis congestionem praecaveri oportet, lux sensibilitatia oculorum gradui attemperetur, aër sit purus, siccus, victus nutriens, digestu facilis, nutrimenta vegetabilia animalibus praeposita, potus refrigerantes; mentis animique incitatio fortior

evitetur, et maximum sanitatia emolumentum praebebit ambulatio in locis viridibus, pratis etc. Scopo repercutiente balneola frigida oculorum et fomenta, confrictio anguenti cinerei in regione supraorbitali, et interne calomel ad stases humorum reserandas indicabuntur.

2 Amaurosis rheumatica

Constitutur affectione vaginae nervi optici atque inde impedita oculi functione, saepe obvia in subjectis ad rheumatismos dispositis vel iis laborantibus, praecipue quando facies calida vel sudore madens aurae frigidae gelidisque ablotionibus exponatur. Huc spectat quoque amauroseos species, a repentina diuturni catarrhi suppressione orta, sive refrigerium sit totius corporis vel solius faciei, abluendo eam aqua gelida aut hanc naribus attrahendu. Nonnunquam epidemica et endemica manifestatur sub forma *nephelopine val hemeralopiae*, quae compellatur etiam *coecitas nocturna*, *dysopia tenebrarum*, *amblyopia crepuscularis*, periodice recurrens, quum aegroti diurno tantum tempore luce fruntur, crepusculum versus cunctas res obvelatum cernunt, sensim sensim-

que visu orbantur, qui nonnisi redeunte die iterum restituitur.

Generatim laboriosas aggreditur personas, temperaturae vicissitudinibus expositas, ideoque agricolas, milites in castris, viros prae sexu sequiori, aetatem mediam prae infantibus senibusque invadit. Hemeralopiae favent ver et autumnus, ubi mane ac vespere aura humido-frigida exstat. Nonnullis terris est endemica, ut litoribus Italiae, Hispaniarum, insulis Malukis, Chinae, et praesertim regionibus paludosis.

Symptomata autem variant, pronti solus nervus opticus, vel simul rami tertii et quinti, vel ipsa organa surculis magni sympathici instructa afficiuntur.

In simplici adfectione nervi optici praeter imminutum vel prorsus sublatum visum, plenitudinis oculi sensum et colorem pupillae nigrescentem non alia phaenomena morbosa observantur. Verum tertio et quinto pari in compassionem tractis, adfectio morbosa diffunditur super periorbitam, musculos ramificationibus tertii instructos et elevatorem palpebrae superioris; praesertim in membranas bulbi serosas ac fibrosas, speciatim conjunctivam et iridem; aggreditur quoque glandulam lacrymalem sinusque frontales; hinc

in scenam prodeunt symptomata sequentia: dolor lacerans, vagus, modo in bulbo, modo in orbita, modo in partibus vicinis sedem figens, nunc super regionem frontalem atque temporalem ad nucam usque, nunc super genas ad maxillam inferiorem diffusus, qualilibet temperaturae vicissitudine exasperatus, et nonnunquam scapulis brachiisque irradiatus; uno eodemque tempore major sanguinis copia oculos versus affluit, intolerantia lucis augetur et quilibet stimulus levissimus lacrymarum secretionem promovet. Cornea abnormiter resplendet, camerae turgescunt, pupilla caeteroquin pura dilatationem inter et contractionem quasi immobilis versatur, directio bulbi plerumque externa, ideoque ab initio morbi et uno oculo affecto diplopia observatur, nec non paralysis elevatoris palpebrae superioris.

In catarrho suppresso aegri sensum oppressionis in radice nasi et regione frontali conqueruntur, qui in dolorem circa tempora et verticem dirissimum transire amat. Nares et oculus exsiccantur, vasa conjunctivae ac scleroticae praeprimis in angulis turgent, pupilla immobilis et dilatata versus tempora dirigitur, visusque maxime imminutus est. Malo ad altiorem evolutionis gradum evecto,

dolor pressivus ad radicem nasi et sinus frontales restringitur, continuus siccitatis et pulveris sensus in naso frequentes producit sternutationes, pupilla coarctatur, et coloris pallido-nigri et immobilis redditur. Huc referenda sunt: atonia palpebrae superioris et luscitas nec non scotomia.

Amaurosi rheumaticae cum adfectione magni sympathici conjuncta praeter symptomata enumerata apparent: horripilationes cum calore alternantes, lassitudo, artralgia, capitis gravedo, aurium susurrus, anorexia, sitis adaucta, lingua muco albo obducta, respiratio difficilis, transitorii dolores in latere pectoris pungentes, tussicula, sensus plenitudinis ac oppressionis in scrobiculo cordis, nausea, abdomen tumidulum, frequens mingendi necessitas, alvus stipata, ardor transitorius, pulsus celer, parvus, durus etc.

Haec amaurosis est intermittens, a refrigerio et perturbata functione organorum imperio sympathici magni obedientium orinnda, imprimis hepatis, et nequaquam cum amblyopia confundenda, quae a pupilla parva aut torpore retinae nascitur, quo in casu facultas visiva licet vespere minus distincta, non aliam agnoscit causam quam imminutum lucis influxum.

Exitus amauroseos rheumaticae differunt. Faventibus igitur momentis, faustum curationis eventum sperare licebit, cum amaurosis recens orta et in inferiori evolutionis gradu constituta est, alias in raris tantum aegris cura optato coronabitur effectu et a recidivis minime secura, imo pedisequa interdum cataracta habetur. Aegro diathesi arthritica laborante, amaurosis rheumatica in arthriticam abire consuevit. Quodsi aeger amaurosin a suppresso catarrho ortam neglexerit, sinus frontales dilatantur ac orbita coarctatur, unde bulbus protrudit cum cornea infra et estus constituta, quo facto dolor periodicus increscit, metamorphopsia subintrat et quaevis lucis perceptio exstinguitur. Nepheliopia utplurimum post paucos dies, hebdomadas et menses, quin auxilia adhibeantur, dissipatur et rarissime in amaurosim continuam mutari solet.

In amaurosi rheumatica, quam sanguis vasa vel cephalica vel ophtalmia obruens producit, methodum antiphlogisticam petit, ut suppressa et impedita nervi optici actio libere reddatur ac in integrum restituatur; itaque depletio sanguinis universalis et topica, emulsio cum nitro, aut decoctum graminis cum liquore terrae foliatae tartari, et

alvo stipata purgans et clysteres reposcuntur. Symptomatibus regimine antiphlogistico mitigatis remedia lenientia et sudorifera, dein sambucina in connubio cum ammoniaca, acetas ammoniae aut camphora, aut tartarus stibiatus dosi refracta opportune adhibentur; externe vesicantia retro aures vel nucham, aut unguentum stibiatum et semicupia in auxilium vocari solent. Nonnulli summis laudibus extollunt vapores coctae hepatis bovinae, idoneo apparatu in oculos directas. Vi mali fracta, superstite tamen functione cutis imperfecta visuque parum emendato, et doribus licet transitoriis in regione frontali residuis, insigne levamen afferunt majores camphorae doses, aethiops antimonialis, pulverea Plumeri aut Doweri, extractum aconiti, guajacum, petroleum rectificatum ad guttas quinque omni bihorio, ac typo intermittente praecipue hemeralopiae china cum calamo aromatico, et topica frictio cum unguento cinereo opio mixto, bis terque de die in regione supraorbitali facienda. Dolore frontali evanito et in bulbo concentrato linimentum volatile, vesicans retro aures vel setaceum ad nucham eximiam saepe virtutem tribuunt.

Praecipua ratio habenda est catarrhi sup-

pressi, in quo functio membranae mucosae restituatur, et stases sinuum frontalium auferantur oportet, ad quem finem assequendum methodus antiphlogistica bene conducit. Insuper membrana mucipara vaporibus demulcatur aquae tepidae vel infusi specierum, vel decocti mucilaginosi, uti maunae canellatae gr. decem. sol. in lactis calidi unc. quatuor et colat., infundibuli ope naribus adtractis.

Si siccitatem mucus secretus exceperit, et quamquam pressio in radice nasali increseat, cephalalgia tamen imminuatur, emollientia separantur et ad sternutatoria confugiendum erit, qualia sunt: saccharus pulverisatus, solus vel quarta parte calomel. mixtus, partes aequales mercur. vivi, pulv. rad. valerian. et sacchar. albi, quae remedia excipiunt pulv. rad. angel. vel hellebori nigri, vapor spiritus ammoniacalis, opportuna distantia in nares directus. Ad virtutem certius ciendam proficiunt infrictiones cum spiritu camph., vesicantia in regione frontali et temporali, ac usus internus remediorum alterantium. Aeger frequenter sternutare et mucum viridescentem emungere cogitur, pressio molesta in radice nasali et supraorbitali pedetentim cessat, nares humectantur et se-

rius ocyus pristina visus claritas restituitur. Muco autem fluere, pertinaciter recusante, bulboque protrudente, auxilio artis sinus frontales aperiendi sunt, quo neglecto bulbus perit vastaque caries vitam minitatur.

8 Amaurosis narcotica.

Haecce excitant abusus substantiarum principio amaro pollentium, uti coffeae surrogatum e tostis cichorii radicibus et cerevisiae amaricantes; opium, stramonium, belladonna, praeparata saturni, vina et remedia plumbo adulterata. Aegrotantes sensum plenitudinis oculi ingratum adeusant et majorum tantum objectorum distinctionem habent; simul turgor vasorum conjunctivae et scleroticae, immobilitas pupillae dilatatae ac inertis, nec non artuum tremor manifestantur, quibus symptomatibus perdurantibus caecitas perfecta sequitur. Pupilla versus angulos magis dilatatur, sclerotica passim rubra, huc et illuc nodosis vasis intersecta, palpebrae in individuis delicatis capillorumque flavorum turgescunt, paralysis palpebrae superioris et bulbi motus justo minus alacres observantur; prosiliunt quoque convulsiones extremitatum et musculorum dorsi, ac sti-

mulo contra lucem sublato sensus externi et interni, prae aliis auditus et memoria debilitantur.

Amaurosis, praeparatis saturni inducta, saepe saepius colica saturnina, ileo et contracturis manuum pedumque complicatur.

Sanationis reintegrandae spem largitur absentia diapositionis ad plethoram, congestiones encephalon versus ac oculos, alvi atypaea, et modus originis, scilicet si abusus belladonnae et plumbi systema nervosum nondum pessundaverit; contra sanatu difficilis est, adiaphonoses oculi et varicositates relinquuntur.

Signis majoris humorum ad caput congestionis, detractionem sanguinis universalem et localem praemittendam esse suadent; interne acidum citricum et aceticum, acetum ammoniacale, largus mercurialium usus frequenter desideratum ferunt auxilium, adhibitis etiam semicupiis. Evolutione amauroseos sublatis congestionis phaenomenis adhuc perdurat, medendi rationem inire oportet, indoli torpidae correspondentem.

4. Amaurosis abdominalis.

Proficiscitur ex affectione viscerum abdominis plus minus infarctorum, valde obvia in subjectis vitam sedentariam agentibus parumque sub Fore ambulantibus, et cum lentore post menses ac annos evolvitur. Orientem amaurosim omblyopia, visus muscarum, hemiopia, visus interruptus indicant; apparent objecta involuta nebula, ab initio per unum alterumve diem nigra, dein grisea. Bulbi axis a directione normali aberrat; albuginea colorem ex flavo rubrum, coerulescentem vel griseum in corneae circuitu assumit, vasa scleroticae in angulorum parte expanduntur, pupilla dilatata ac iners, si motum cierit, modo huc, modo illuc angularis redditur, morbo perfecte evoluto non amplius ad normam rediens.

Praeter dicta symptomata distinguuntur: cephalea quasi continua, omnem oculorum et facultatum intellectualium adstrictionem adimens, morositas, lassitudo, color faciei flavescens, labia violacea, respirium difficile, anorexia, sensus oppressionis in ventriculo, tensio inguinum, dolores recurrentes in hypochondriis ad scapulas usque irradiati,

urina turbida et parum in copia, nunc alvus clausa, nunc diarrhoica, crebri molimi- num haemorroidalium assultus.

In curando hoc morbo usu resolventium graduato ac congruo vitae regimine obstructiones viscerum abdominalium, quoad fieri potest, auferantur. Si in decursu morbi phaenomena phlogoseos prodierint, hirudines ano applicandae, emollientia et leniter solventia erunt propinanda e. g. decoctum gram. et prun. siccatorum etc., coadjuvant quoque cataplasmata partibus affectis applicita et clysteres; calomel. ad prima usque salivationis signa porrectus, dein purgantia et aquae minerales maxima cum utilitate administrantur. Dissipatis congestionis signis remedia tonico-solventia et saponacea indicantur: uti taraxacum, cichoreum, saponaria, inita pro circumstantiis cum sale Glauberi, arcano duplicato, ammoniaca, senna, rheo, ita ut aliquot alvi evacuationes promoveant. Eidem scopo bene inserviunt balnea tepida, clysteres solventes et unguenta emollientia regioni abdominis affectae applicanda; quae remedia per plures hebdomadas continuanda, et diarrhoea exorta suspendenda veniunt et in dosibus minoribus reiteranda. Victus sit digestu facilis, vinum parcum, aquis mineralibus

bus utatur aeger, ambulet aere aperto, caveat animi pathematibus et visus adstrictione. Amblyopia relicta, ad sui sanationem remedia, in amaurosi torpida indicata, reposcuntur.

5. Amaurosis guttosa

Evolvitur in delicatulis, debilibus, indolis irascibilis, in foeminis oculis coeruleis praeditis, quae larga mensium tributa solverunt et in annis climactericis versantur, ad arthritidem dispositae vel eadem reapse affectae. Causae occasionales sunt: diutina aegritudo, planctus frequens, somnus parcus aut aerumnis perturbatus, contentio oculorum adstrictio legendo ope lucis artificialis vel visum in objecta minuta dirigendo, victus digestu difficilis, deficientia motus in aere libero, dimora longa in cubiculis humidis obscurisque. Hujusce amauroseos characteres consistunt in vasis conjunctivae et scleroticae ad varicositatem inclinatis, minori corneae splendore, magis convexae et tempora versus acuminatae, arcubus iridis obscuris, violaceis, huc et illuc nodulis coeruleoceilibus tinctis, pupilla jam initio inerti, deinde immobili, plerumque ad angulorum latus

tractu, angulosa; bulbo in parte posteriori extensa ac dura; in sensu formicationis, tempestate humido-frigida, repentina temperaturae vicissitudine victu indigesto et animi pathematibus in dolorem lancinantem vagumque degenerante. Visio per intervalla nebula grisea et nigra, nec non chrupsia perturbatur, stimulis in vim vitalem agentibus emendatur, quin caecitas, iridis ac choroideae varicositas, et adiaphanosis humoris vitrei atque cristallini impediri quest. Lento cum passu morbus proficisci, et primum in oculo sinistro evolvi solet, alterum progressu temporis invadens. Si exordio amauroseos opportunum tractamen oppositum fuerint, levamen haberi potest, et uno oculo affecto eo admittendum est, fore ut evolutio in altero propediatur.

Hic morbus amaurosi abdominali affinis curam haud dissimilem postulat, ideoque obstructionibus et congestione remoti antiarthritica proficient, adque recidivas mali praepediendas fonticuli in brachio applicabuntur.

6. Amaurosis ab impetiginibus suppressis.

Saepe ab herpete exsiccato, scabie retropulsa, ulceribus inveteratis praepostere consolidatis, scarlatina repressa amaurosis nascitur, in qua praecipua sibi vindicant attentionem venae turgentes conjunctivae et scleroticae, dilatatio magna pupillae quasi immobilis, ac angulosae; oculi fixi, repentinum decrementum aut sublatio videndi facultatis improvisa, quin dolores capitis praecesserint. Amaurosi imperfecta, miscela humoris vitrei nondum alterata neque vasis varicosis prosilientibus prognosis minus infausta est. In cura eo adnitandum est, ut exanthemata retropulsa et impetigines praepostero exsiccatae vel insitione artificiali, vel remediis intense irritantibus, cuti immediate applicitis, revocentur, v. c. frictione unguenti sulfuris reiterata in extremitatibus, balneis cum hepate sulfuris adhibitis; usu interno florum sulf. nuptorum sulf. aur. antimonii et camphorae, quibus medicamentis in cutem praecipue agentibus insigne levamen adferri solet.

Amaurosi a praepostera tineae curatione exorta, capillis abrasis vesicans capitis parti

capellutae applicare fluxumque mediocrem subatinere conveniet, commendatis simul interne antimonialibus, mercurialibusque, prae aliis aethiope antim. et pulveribus Plumerii; dain camphora, jacea, aconito, bardana, dulcamara, guajaco etc.

Ulcera habitualia pedum exsiccata remediis acribus, excoriantibus restituenda sunt, uti sinapismis et vesicantibus, balneis sale culinari et lixiva commixtis, fonticulis instituta; usu interno roborantium nec ulla applicatione remediorum locali in auxilium vocata, quae in omni amauroseos impetiginosae specie nocivam vim exserit

7. Amaurosis scrofulosa.

Nequaquam immunes ab isto morbo infantes, inciduot, habitu eminenter scrofuloso et atrophia mesaraica affecti nec observationes desunt, videndi potentiam nonnisi in uno oculo plerumque diminui; manifestantur myopia, nepheliopia, metamorphopsia, amor quietis ac solitudinis, tristitia, morositas, somnolentia, quandoque pressio molesta in orbitae fundo, quasi bulbus protrudere cogatur; intollerantia lucis; lacrymarum secretio augetur, palpebrae spasmodice contrahuntur,

pupilla sensim dilatatur, comite inertia, ac angulositate, subsequitur adiaphanosia viridescens, corpusque ciliare transparet.

Ni ab initio medicamina antiscrofulosa adhibeantur, facili negotio caecitas, atrophia vel oculi fungus medullaris caput extollunt.

8. Amaurosis syphilitica.

Evolvi amat in rachiticis aut scrofulosis, lue venerea affectis, utrumque oculum invadit sequentibusque stipatur symptomatibus: Aegroti res omnes diversimode mutatas et confusas videre incipiunt, vertigine et scotomia conqueruntur, turgor vasorum, photophobia, palpebrarum, bulbi iridisque convulsiones cum pupilla et oculorum ex obliqua in scenam prodeunt, quae phaenomena cephalaea intermittens, perfecta caecitas cum vasorum oculi varicositate excipiunt, dein doloribus adaucti gustus, auditus, odoratus et memoria amittuntur, bulbus accedente furoris paroxysmo orbitam derelinquit, ac vita morte convulsiva extinguitur.

Necroscopia tali morbo enecatorum exostoses, hyperostoses at cariem ossorum cranii manifestat.

Incipientem solummodo adfectionem jugu-

lari poterit largissimo mercurialium usu, speciatim cura ad mentem Lauvrier vel Rust instituta aut interna sublimati administratione.

III.

AMAUROSIS TORPIDA.

In hac amauroseos specie nervi optici actio debilitata torpidae in adhibitos stimulos reagendi facultati juncta est, transitum in oculorum cachexias format ac originem trahit vel a neglecta amaurosi erethistica aut congestiva, vel congruo ejus tractamine; nonnunquam primaria in individuis apparet, quorum oculi jam ab incunabulis debilitatem, et laesiones senectute, potentiis hyposthenizantibus morbisque inductas praeseferunt; e. g. majori lucis intensitate in oculum sensibilem irruentis, adstrictione oculorum fortiori, pressione nervi optici tumore orbitali, constitutione torpida propter victum indolis perversae, moram in ambiente insalubri, jacturas humorum nobilium et alia hujus generis.

Istius evolutio nunc lenta, nunc rapida, nunc repentina apoplexiae similis observatur. Quadsi decursum lentum absolvendo desti-

nata fuerit, haecce emergunt phaenomena: objectorum perceptio minus clara et versicoloris, res candidae splendore privantur, color albus in cinereum vel coerulescentem abit, viridis vel coeruleus brunescit aut nigricat, uno eodem tempore myodesopsia alternans cum visu reticulari subintrat. Oculis parvae lucis quantitati insensibilibus, aegri saepe nepheliopiam accusant, flammam candelae lunamque vapore nubuloso et iridiformi circumdatam conspiciunt. Potentiae excitantes facultatem videndi paulisper emendant, quam ob rem splendor solis meridiani, coena lauta, spirituosa, somnus reficiens, mediocris corporis motus, consortia amicorum etc. visum acuunt, qui circumstantiis oppositis in pejus ruit. Desunt irritatio oculi partiumque vicinarum, cephalaea, sensus plenitudinis ac tensionis; imo torpor, motus palpebrarum iners eorumque semiclausura, axis ocularum a directione normali detenta, secretio lacrymarum glandularumque Meibomii imminuta, cornea plena, spatium camerarum minus, pupilla generatim immobilis, angulosa, dilatata, quandoque restricta, oculi penitiora impura observantur. Si amaurosis adfectionem cerebri exceperit, pupilla dilatatur, immobilis ac irregularis eva-

dit; in amaurosi, medullae spinalis affectae sequela, pupilla diducitur, utrumque autem casum concomitantur paralysis musculorum paria quinti, prolapsus palpebrae superioris, distractio bulbi versus angulum externum, amblyopia, — oculis apertis diplopia, — vel paralysis cunctorum bulbi musculorum, prolapsus ipsius ac coecitas.

In amaurosi recenter nata, coecitate adhuc imperfecta, ac constitutione individui robusta, aliqua spes sanitatis restituendae arridebit, quae tanto magis amblyopia haereditaria et accedentibus potentiis contrastimulantibus imminuitur.

Therapia initium sumat a tartaro stibiato ad vomitum ter quaterve ciendum, dein decoctum graminis cum tartari emetici granis duobus ad nauseam per tres aut quatuor hebdomadas propinetur, quibus elapsis seponatur, ne vires digestionis nimis infringantur.

Inter remedia interna, quae in auxilium felici cum successu vocari solent, antiparalytica enumerari merentur:

1. *Arnica*; infusum aut decoctum florum arnicae ad drachmas duas — uncias semis ad colaturam librae unius; pulvis ad 10-30 grana, extractum ad 4-5 gr. in massam pillularum redactum, intra nycthemeron consu-

mendam. Efficaciam ipsius denotant: ardor ventriculi et scrobiculi cordis, erampi, nausea, vertigo, sensus formicationis in orbita interna, sudor plus minusve continuatus in regione frontali temporalique, ac ipsae concussiones corporis electricae, quibus phaenomenis imminentibus ab ejus usu desistitur et serius hac praeparatum dosi minori praescribitur, nuptum tartaro emetico refracta dosi, camphor. valerian. gummi ammoniaco, spir. cornu cervi. Arnica optima inservit in debilitate systematis cerebellaris ac medullaris, in proclivitate ad paralysin musculorum vel paralysi jam exstanta.

2. *China*, ejus infusum vino frigido paratum, — minus correspondit sulfas chininae, decoctum aut china in substantia, quae forma organa digestioni inservientia molestat. — Principalem locum sibi vindicat in adfectione sympathici magni et in debilitati coenestheseos inde enata.

3. *Sublimatus* in forma pillulari:

℞. Sublimat. corros. *grana duo*
solve in s. q.
Aq. destillatae
adde
Extracti liquir. *scrupulum*
m. f. l. a massa, e qua form. pillulae N. 42.

Dzondi quatuor pillulas post prandium sumi jubet, experientia autem meliores ostendit effectus, si vespere capiantur; singulis diebus duae pillulae adduntur, usque tum dosis sublimati ad 1 - 1 ½ gr. ascenderit.

Ad mentem Dzondii cura intra 27 dierum spatium terminatur, attamen pro re nata doses sublimati modificantur.

Hocce remedium speciatim commendandum venit in amaurosi torpida, cui ophthalmitis vel encephalitis chronica ansam dederit, ubi nervi optici ac retinae mutationem organicam aut orbitae tumores, bulbum prementes, supponere licet; verum contro-indicatur in congestione organa versus nobiliora, in dispositis ad tabem et haemorrhagias, nec non in gestantibus, quo in casu calomel solus vel sulfuri aurato antimonii nuptus substituitur.

Mora interposita haud alienum erit, alvi ductiones purgantibus promovere.

Minus correspondent *pulsatilla nigricans, helleborus niger, phosphorus,* et *rhus toxicodendron* a Doctore Weller laudatum; nam eorum actio est incerta ac detrimenta exoriri possunt, pulsatilla et helleboro leucophegmatiam, phospboro gastritidem et rhure toxicationem generando paribus.

Inter remedia localia, contra amaurosim preficua, exstant:

1. *Naphtae et olea aetherea*, ut oleum rosmarini, menthae, thymi, foeniculi, cajeput.

2. *Remedia gummiresinosa*, uti spiritus cornu cervi, oleum animale Dippelii.

3. *Remedia potenter stimulantia*: tinctura cantharidum, phosphorus aethere vitrioli solutus. Nonnullae guttae horum medicaminum regioni oculi bis de die inungendae veniunt.

4. *Spiritus salis ammoniaci causticus*, cujus 3-10 guttis vola manus tincta oculis admovetur, vaporque ipsis admittitur; ter quaterve de die repetendum continuandumque est, donec sensibilitas gradus mediocris, rubor oculi et lacrymarum fluxus fere prodeant.

5. *Vesicantia et caustica*: emplastrum cantharidum vel tartari stibiati; graviore vero in casu etiam cauterium potentiale et actuale imprimis moxa, regioni ruperorbitali, temporali aut mastoideae et epicranio, capillis abrasis, applicanda indicantur.

6. *Endermatica*; consilium enim expedit, unam regionum dictarum epidermide spoliare ibique effigere substantiam irritantem, v. c. quartam grani partem strychninae.

7. *Remedia impressionem cum impetu quo-*

dam conciliantia, ut embroeatio atque electricitas.

Embrocatio diversimode iostituitur.

Jüngken canaliculo vitreo utitur, longitudinem trium pedum et crassitiem tubuli barometri referente, cujus extremitas superior uncina, sex pollicea longa et aperta reperitur; extremitas inferior duas pollicea longa ac incurvata in ostiolum abit. Pars larga superior in calice aqua repleto ac opportune posito piscatur, atque aer ab extremitate inferiori reperitur, ut rivulus aquae prosiliat, cui aeger oculum submittit plus minus distantam, prouti major vel minor actio desideretur.

Hunc apparatum superat machina embrocationis a *Sallaba* commendata et in ophthalmologia Beerii depicta — Viennae et Lipsiae 1800 —, ast pretii causa nomisi in cliuico instituto atque a divitibus applicari licet.

Quanto majori altitudine aqua frigida cadat, eo magis ejus efficacia eminet, attamen cavendum est, ne oculus ab initio totam remedii vim experiatur, qua ratione habita per aliquot dies fomenta frigida applicentur, quae deinceps embrocatio excipiat, solummodo bis de die per quadrantem horae duratura.

Electricitas functiones vitae animalis et

vegetativae, ac systema vasculare incitat, unde oculi sensibilitas prae caeteris exaltatur, ad quem finem assequendum optime inservit balneum electricum, binis vicibus de die per 3-10, serius 15-20 minuta applicitum.

Praeter hactenus allata auxilia ad promovendam amauroseos sanitatem ubique conveniens simul vitae regimen necessarium est. Lux sit moderata, aer purus sicusque, victus eupeptus, parcus vini aut cerevisiae usus motus corporis non negligatur, mentis animique incitatio fortior sollicite evitetur.

Quum rationalis cura nihil proficiat, empirica medendi ratione mire conveniet, quae eo modo absolvitur, ut e penu medicaminum jam allatorum diversa quidem, sed talia tamen medicamenta, quibus pertinacior amaurosis saepius vinci fertur, adhibeantur atque ad exortos effectus attendatur. Tali itaque tempore a solis juvantibus et nocentibus ulteriores indicationes desumuntur.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

1. Plura incommoda a vino producta, a vino auferuntur.

2. In ipsa ventriculi et intestinorum phlogosi purgantia mitiora laudanda.

3. Diagnosis amauroseos, et sanatio valdopere incerta.

4. Medicina omnium utillima certe omnium difficillima plus quam aliae scientiae spernitur.

5. Varicocele in juvenibus ob manustuprationem frequentissimum.

6. Qui sanitatem cupiant otium et solitudinem fugiant.

7. Omnia systemata in medicina nocere